



29. 37.


DE  
POSTVLATO PONTIFICIS R.  
**CONFIRMANDI**  
ELECTIONEM REGIS ROMANORVM  
SIBI NVNTIATAM  
DISSERTATIO II. EAQVE CIRCVLARIS  
QVAM  
PRAESIDE  
**IO. CHRISTOPHORO PESLERO**  
I. V. D. COD. IVSTIN. PROF. PVBL. ORD.  
ET FACVLT. IVRID. ADSESSORE  
**IN AUDITORIO ICTORVM**  
III. NON. FEBRVAR. A. O. R. CID IOCCXXXVIII.  
DEFENDET  
**IOANNES DANIEL SCHWECHTEN**  
PERLEBERGENSIS.

---

FRANCOFVRTI AD VIADRVM  
EX OFFICINA IOANNIS CHRISTIANI WINTERI  
ACADEM. REG. TYPOG.







L



om ante aliquot annos postulatum  
praefulsi Romani, confirmationem  
regum, a Germanis electorum, sibi ar-  
rogantis, tractauimus, intra regum  
Carolinae stirpis aeuum substitimus.  
Iam igitur, quando institutum perse-  
qui placet, ipsa temporum series nos ducit ad Conra-  
dum I. Henricum I. et Ottонem I. orientalium Fran-  
corum et Saxonum reges. Sed maximopere vereor,  
vt ex horum principum historia erui quicquam possit,  
quod causaе pontificis proficuum videatur. Etenim,  
vt alio loco docebitur accuratius, ex episcopis Roma-  
nis illi etiam, qui ius confirmandi electionem regum  
Germaniae acerrime adserunt iuere, hac in primis  
ex causa electionem regum, quos dixi, a se exami-  
nandam et approbadam esse, perhibuerunt, quod

rex

A

**2 DE POSTVLATO PONTIE. R. CONFIRMANDI**

rex, a Germanis electus, adeoque fascibus imperii R. destinatus, hac quidem dignitatis accessione, nisi dignus et idoneus repertus esset, ornari a praefule R. salua religione non posset. Ea vero aetate, qua et in Conrādum Francum, et Henricum Saxonem, et Ottонem I. huius filium, summa rerum in Germania ex procerum suffragiis collata est, iam dudum interrupta erat coniunctio illa vetus, quae inde a Carolo M. usque ad Carolum crassum, aut plane Arnulphum, intercesserat inter Francorum regnum et imperium Romanum Italiāque. Eas certe vicissitudines, quas post Caroli crassi exauctorationem Italia, modo commemorata, ipsaque Roma experta est, nec non contentiones, de regno ac imperio inter Berengarium, Guidonem, Lambertum et Ludouicum Bosonidem agitas, iam alibi attigimus. Huncque Romani etiam postea, quam a Berengario excaecatus fuit, satis diu imperatorem agnouerunt, sed anno DCCCCXV invasionibus barbarorum affliti ac pressi Berengario, huicdum Italiae regi, imperium obtulere. Hoc denique per insidias occiso, Marozzia, famosissima femina, rerum aliquandiu in urbe potita, mox capta et potestate exuta, Albericum, filium, et, post eius mortem, Octavianum, nepotem, extincto Agapeto II. papa, summo pontificatu auctum, in principatu habuit successores. In Italiā interim Rudolphus, superstite adhuc Berengario, a proceribus rerum nouarum cupidis ex Burgundia euocatus, coeque a fautoribus suis relieto, Hugo et Lambertus, Hugonis filius, hoc denique fatis functo, Berengarius II. ac eius filius, Albertus regnarunt. Dum igitur rebus ita compatis

ratis Germaniae nostrae parum aut nihil negotii cum Roma his temporibus fuit, non facile erit quisquam, qui sibi persuadeat, Francos orientales et Saxones electiones regum suorum iudicio praefulum Romanorum submisisse, vel etiam ipsos pontifices Romanos ad arbitrium causae, nullo modo ad se pertinentis, adspirasse. In monumentis saltet aevi prisci nihil huius rei legitur consignatum. Id tamen tum ab EKKEHARDO S. GALLI MONACHO 1), tum a WITTEKINDO CORBEIENSI 2) relatum inuenimus, Hattonem, Moguntinum archiepiscopum, iuris regii exigendi causa a Conrado I. rege in Italiam missum, diuitem reuertisse, et Henricum I. orientalium Francorum ac Saxonum regem, pacata Germania, et ab incursionibus barbarorum liberata, consilium in Italiam eundi cepisse, sed aduersa valetudine impeditum esse. Atque etiam Otto I. cum ab Adelheida, regina, Lotharii regis vidua, contra Berengarium II. Lotharii in Itiae regno successorem, in auxilium vocatus esset, moxque superatis Alpibus Ticinum ingressus, nuptias cum Adelheide celebrasset, Romanam petere voluit 3), vtque in urbem admitteretur, Fridericum, Moguntinum archipraesulem, et Hartpertum, Curensem episcopum, ad Romanos alegavit 4). Quod etsi tunc quidem frustra appetiit, non iniuria tamen inde, et ex iis, quae de Conrado et Henrico allata sunt, mihi colligere videor, in ea opinione fuisse reges, quos nominaui, Itiam Romamque, quae, inde a Carolo M. ad Arnulphum usque, regum Francorum suspexerat imperium, non tam genti Carolinae, quam regno Francorum, cuius opibus quaesita erat,

A z

cuius-

#### 4 DE POSTVLA TO PONTIE R. CONFIRMANDI

cuiusue praecipua pars ad Conradum, Henricum, et Ottonem peruererat, partam fuisse. Ita certe iam alibi suspicatus sum, ill. viri, HENRICI DE COCCEIIS 5) adsensu adiutus. Nunc etiam id addo, perspicacissimi ICti sententiam a NITHARDO 6), aeuī Carolini scriptore, confirmari.

- 1) EKKEHARDVS IVNIOR, *de casibus monasterii S. Galli apud Goldastum scriptor. rerum Alemann. T. I. p. 19.* Accidit autem, vt eo quidem domum reuero Hatto, archiepilocus, fodalis vtique, vt sibi met dicebat, fuis, Italiam ius regium exacturus tendens. Constantiam deueniret. et p. 20. Redit diues ille, Hatto, ab Italia ditissimus.
- 2) WITTICHINDVS CORBEIENSIS *annualum L. I. apud Meibonianum scriptor. rer. Germ. T. I. p. 64.* Perdonatis itaque cunctis circumquaque gentibus, postremo Romanū proficiſci statuit, sed infirmitate correptus iter intermisit.
- 3) FRODOARDVS PRESBYTER *ad annum 952. apud Pithoeum inter scriptores annualum et historiae Francorum p. 183. seq.* Ottō rex legationem pro fuscione sua Romam dirigit, qua non obtenta, cum vxore in sua regreditur.
- 4) HERMANNVS CONTRACTVS *ad ann. 952. apud Freherum T. I. rerum Germanicar. p. 261.* Fridericus, Mogontiae archiepilocus, et Hartpertus, Curiae epilocus, Romana a regi milia sunt.
- 5) HENRIC. DE COCCEIIS *in iuriis publici prudentia c. 6. §. 17. p. m. 159.*
- 6) NITHARDVS *de diffensionibus filiorum Ludonici P. L. IV. apud Pithoeum p. 480.* Si vellent illi aliiquid supra tertiam partem regni propter nomen imperatoris, quod sibi pater illorum concederat, et propter dignitatem imperii, quam auus regno Francorum adiecerat, augere, facerent.

#### II.

Ad nexum vero, quem dixi, restaurandum commoda seſe obtulit occasio, quando et pontifex Romanus, et Italiae procérum non pauci, a Berengario II. post Lamberti mortem durius habiti, Ottonem, iam ab anno

anno DCCCCXXXVI. orientalium Francorum regem, tum coercendi Berengarii et Adelberti caussa, tum, ut Romam, turbis, quas per plures annos tolerauerat, defatigatam ac paene contritam, iusto imperio recrearet, in Italiam inuitarunt. 1) Antea tamen, quam Otto ad hanc expeditionem fese accinxit, in comitiis, anno DCCCCCLXI. Wormatiae celebratis, a proceribus Germaniae impetravit, vt Otto, filius, ex Adelheida natus, successor in regno orientalis Franciae declararetur, moxque Aquisgrani, ipso die pentecostes, qui tunc in VII. Kal. Jun. incidit, coronaretur. 2) Quo facto, iter aggressus Papiam venit, impositaque sibi Italici regni corona, sub initium sequentis anni Romam adiit, ibique plausibus populi exceptus, a Ioanne XII. pontifice, imperiale diadema vi. Non. Febr. solemnis ceremonia obtinuit. 3) Non est, quod hic discedam a sententia illorum, qui Ottonem, eadem abhinc, qua olim Carolini imperatores vbi sunt, auctoritate Romanis imperasse, imperiumque ipsi Germaniae regno, non sibi soli, aut filio, posterisque sui sanguinis acquisiuisse contendunt. 4) Ut reliqua maiestatis imperialis documenta, quae in promtu sunt, silentio praetermittam, electionem certe pontificis, iniussu Ottonis, ad se non pertinere, ipsi Romani, teste LWITHPRANDO, 5) professi sunt, ab eaque se abstinere velle, sacramento interueniente, spopondi-  
runt. Quin et ipsos pontifices summae ipsius potestati subsuisse, extra omne dubium est constitutum. Vide-  
mus enim, Ioanne XII. ob fidem fractam aliaque faci-  
nora plura, a sanctitate summi ecclesiae praefulsi alienissima, exauktorato, Leonem VIII. auspiciis Ottonis electum

## 6 DE POSTVLATO PONTIE. R. CONFIRMANDI

electum esse. 6) Et cum, Leone deserto, Ioannem in urbem receperissent, hocque defuncto, Benedictum substituissent Romani, caesar pontificem, superstite Leone, ac, quod maximum erat, se inconsulto, electum, ob violatam iurisjurandi, sibi praestiti, 7) religionem, dignitate priuauit, et exsilio mulctauit. Fecit haec ipsa severitas, ut Romani post mortem Leonis legatos ad principem mitterent, pontificem, quem vellet, petitoros. 8) Hic vero potestate sua moderate usus, Orgerium, Spirenseni, et Luzzonem, Cremonensem, episcopos, Romanum misit, quibus praesentibus ex cleri populique Romani electione Ioannes XIII. ad pontificatum peruenit. 9) Cum vero Romani Ioannem, de solio deiectum, primum carceri mancipassent, dein urbe expulissent, imperator Romanum adiit, sumtoque de noxiis supplicio, 10) Ottonem filium, iam dudum a Germanis regem, nulla accedente pontificis confirmatione, appellatum, et ex Germania accersitum, a Ioanne restituto coronari iussit, ac imperialis dignitatis consontem fecit, 11) Denique etiam post Ioannis obitum, ut MVRATORIVS 12) coniicit, in electione Benedicti VI. suam interposuit auctoritatem. Ut vero iam antea, quam Otto II. in societatem imperii adsumtus est, Romani iurarunt, se inscio Ottone M. eiusque filio, pontificem electuros non esse, 13) sic imperii administrationem post mortem patris adeptus, defuncto Dono, papa, id egit, vt Maiolus, Cluniacensis abbas, sanctitate vitae prae ceteris clarus, in locum eius substitueretur, at hoc dignitatem oblatam deprecante, Benedictus VII. praesentibus imperatoris legatis, est eleitus

ctus, 15) mortuusque auspiciis eiusdem Ioannem xiv. nactus est successorem. 16) Cum autem non ita multo post ipse imperator diem supremum obiit, non satis expeditum est, vtrum inter turbas, ab Henrico, Bauariae duce, ad regnum adspirante, excitatas, tum mater Ottonis iii. Theophania, tum Adelheyda, auia, curam habuerint sedis R. quam, occiso legitimo pontifice, Bonifacius quidam, ob caedem Benedicti vi. infamis, inuasit, hocque post breue temporis interuallum rebus humanis erepto, Ioannes, Roberti filius, et Ioannes, Leonis filius, conscenderunt. Certius hoc est, Theophaniam, quae tutelam regis pueri cum laude gessit, et rem publicam strenue administravit, 17) anno post c. n. DCCCCLXXXIX. natalem seruatoris Romae celebrasse, suaque auctoritate populum R. omnemque adiacentem regionem in fide filii retinuisse. 18) Patet exinde, Romanos agnouisse maiestatem regis Germani, extremis mensibus, quos Otto ii. vixit, Verona electi, nec, quantum scimus, a pontifice confirmati. Illos vero etiam post mortem Theophaniae, anno DCCCCXCI. extinctae, in obsequio Ottonis permanisse, eo luculentius appetit, quod iam anno DCCCCXCV. aduentum eius expeterunt, 19) et anno sequente iter aggresso, sed Rauennae subsistenti, nuntios obuiam miserunt, quantaue in expectatione essent regis nondum visi, significarunt, et de successore Ioannis, pontificis, circa idem tempus defuncti, sententiam regalem exquisierunt. Qua quidem legatione audita, sine mora ex primoribus, quos in comitatu habuit, quosdam Romanam praemisit, quibus praesentibus Bruno, cognatus regis,

B

cleri

10 DE POSTVLATO PONTIE. R. CONFIRMANDI.

cleri populi suffragiis electus, adsumto Gregorii v.  
nomine, consecratus fuit. 20) Rex autem, ablegatos  
suos fecutus, mox a pontifice recens inaugurato coro-  
nam accepit imperialem, interiectisque aliquot annis  
Gregorio, quem dixi, vita defuncto, Gerbertum archie-  
piscopum Rauennatam, Sylvestri ii. nomine clarum, quem  
olim praeceptorem habuerat, ad pontificiam dignitatem,  
clero populoque adsentiente, eusexit. Eo minus igitur  
operae pretium esse duxi, de documentis, quae vulgo  
proferuntur, et formulam translati in Ottonem m. ac  
Ottoni iii. confirmati imperii continent, sed a non  
paucis dubiae aut plane nullius fidei esse censemur  
contendere. Ipsa enim rerum gestarum series ostendit,  
pontificum R. constitutionem ab auctoritate impera-  
torum peperisse. Atque etiam delato semel in Otto-  
nem m. imperio, Romani filium et nepotem, vtrumque  
vivo patre regem Germaniae designatum, imperatores  
ac dominos agnouerunt. Et ipsi pontifices sine tergi-  
uersatione, nullo praevio electionis, a Germaniae pro-  
ceribus peractae, examine, coronam imperialem illis im-  
posuerunt, ab arrogancia successorum, qui regem a  
Germanis electum sine confirmatione pontificis R. ad  
coronam et dignitatem imperii adspirare posse, nega-  
runt, alienissimi.

i) LIVTHPRANDVS TICINENSIS *bifloriarum L. VI*, appen-  
dicis c. i. apud Reuberum scriptor. rerum German. p. 212. Regnabitibus  
imo fauientibus in Italia, et, vt verius fateamur, tyrannidem exer-  
centibus Berengario atque Adelberto, Ioannes, fumissus pontifex  
et vniuersalis papa, cuius tunc ecclesie supra dictorum Berengarii  
atque Adelerti fauitiam erat experta, legatos sanctae Romanae  
ecclesiae -- regi, nunc Augusto naefari, destinavit, suppliciter  
litteris -- orans, quatenus -- se fibique commissam sanctam Ro-  
manam

## ELECTIONEM REGIS R. SIBI NVNTIATAM. II

- manam ecclesiam ex suorum fauibus liberaret, ac saluti et libertati pristinae restitueret. Add. ANNALISTA SAXO *ad annum 960. apud Eccardum corporis historiae mediæ aevi T. I. col. 200.*
- 2) REGINONIS CONTINVATOR, *chronici L. II. ad ann. 961. apud Pistorium T. I. p. 108. seq.* Rex in Italiam ire disponens, maximam suorum fidelium multitudinem Wormatiae coadunauit, ubi conseniu et vnanimitate regni procerum totiusque populi filius eius Otto rex elegitur. Indeque progrediens, conuenientia quoque et electione omnium Lothariensem, Aquis rex coronatur. *SacerdotVS GEBERTVS GEMBLACENSIS ad ann. 961. apud Pistorium T. I. scriptor. rer. German. T. I. p. 816.* Otto - filium suum, Ottонem, puerum septennem, Aquis grani die sancto pentecostes in regem inungit.
- 3) ANNALISTA SAXO *ad ann. 962. apud Eccardum l. c. p. 302.* Rex natale domini Papiae celebrauit, indeque progrediens, Romae fauorabiliter susceptus, acclamatione totius populi et clerici apostolico Ioanne imperator et augustinus vocaturet ordinatur. *HEPIDANVS ad annum 964. apud Goldastum scriptor. rer. Alem. T. I. Ipse, Otto, a papa Octaviano benedicitur in purificatione S. Mariae die dominico.*
- 4) V. A. IOANN. IAC. MASCOVIVS *comment. de rebus imp. Rom. Germanici L. II. c. 24. p. 52. seq.*
- 5) LIVTHPRANDVS *bijtor. L. VI. appendix c. 1. apud Reuber. p. 214.* Cives vero sanctum imperatorem cum suis omnibus in verbum suscipiunt, fidelitatemque promittunt, haec addentes et firmiter iurantes, nunquam se papam electuros aut ordinaturos praeter consensum atque electionem domini imperatoris, Othonis, Caelarisi augusti, filiique ipsius, regis Othonis.
- 6) IDEM *l. c. c. 5. in fine et c. 6. ab initio p. 218. seq.*
- 7) IDEM *l. c. c. vlt. p. 220.* Quem, Benedictum papam, Benedictus, cardinalis archidiaconus, tali est fermone adgrefsus: Qua tibi auctoritate, quae lege, o inuasor, haec pontificalia indumenta vtrasti, superfite - Leone? -- num initiari potes, praefenti Dominino imperatori iuramento promisisse, nunquam te cum ceteris Romanum papam electurum aut ordinaturum absque illius filiique fui, regis Othonis, conseniu?
- 8) REGINONIS CONTINVATOR *ad ann. 965. l. c. p. 111.*
- 9) IDEM *l. c.*
- 10) ANNALISTA SAXO *apud Eccardum T. I. col. 312.*

12 DE POSTVLATO PONTIF. R. CONFIRMANDI

- 11) IDEM ad d. an. col. 313. DITMARVS MERSEBURGENSIS apud Leibnitium T. I. scriptor. Brunsvic. p. 333. in fine. Aequi-  
vocus imperatoris, iunior, inquam, Otto -- in nativitate Domini  
Rome imperator effectus est pate iubente.
- 12) MVRATORIVS T. III. der Geschichte von Italien ad ann. 972.  
p. 548.
- 13) vid. nota 5. et 7.
- 14) SYRVS MONACHVS in vita f. Maioli L. III. c. 8.
- 15) Hoc refert ANTONIVS PAGI in critic. annal. Baronii ad  
annum 975. §. 3. T. IV. p. 35. Quo auctore, non addit.
- 16) ANNALISTA SAXO ad ann. 983. apud Ecard. l. c. col. 336.  
Post placitum - idem imperator augustus Romanam reuertitur, ac do-  
minum apostolicum digno cum honore Romanae praeficit ecclesiae.  
add. CHRONOGRAPHVS SAXO ad eundem ann. apud  
Leibnitium accession. hislor. T. I. p. 196.
- 17) DITMARVS MERSEBURGENSIS L. II. apud Leibn.  
T. I. scriptr. Brunsvic. p. 349.
- 18) LAMBERTVS SCHAFFNEBURGENSIS ad ann. 989.  
apud Pistorium T. I. p. 316. Theophana, imperatrix, Romanam perre-  
xit, omnemque illam regionem regi subdidit. ANNALISTA  
SAXO ad ann. 989. l. c. col. 347. ANNALISTA HILDES-  
HEIMENSIS ad eundem ann. apud Leibn. T. I. script. Brunsvic.  
p. 720.
- 19) ANNALES HILDESHEIMENSES ad ann. 995. apud  
Leibn. l. c. p. 721. Legati etiam apostolicae sedis cum vnanimi-  
tate Romanorum atque Longobardorum regem Romanum inuitant.  
ANNALISTA SAXO ad ann. 995. l. c. col. 361.
- 20) AVCTOR VITAE S. ADALBERTI §. 31. apud Mabil-  
lonium facculo Benedictino V. p. 860. Rex autem Otto, Alpium niues  
multo milite transmeans, iuxta sacram urbem Ravennam castra me-  
tatus est. Ibi in eius occursum veniunt epistolae cum nuntiis, quos  
mittunt Romani proceres et senatorius ordo, primo illius aduen-  
tum velut toto tempore paternae mortis non vixum totis viceribus  
desiderare, ac debita fidelitate pollicitur expectare, dein in mor-  
te domini apostolici tam sibi quam illis non modicam inuestiam esse  
partem incommodorum, annuntiant, et quem pro eo ponenter, re-  
galem exquirunt sententiam.
- 21) ANNALISTA SAXO ad ann. 996. l. c. col. 363. Rex in Ita-  
lia iam positus, rumore incitatus, praemissis quibusdam principibus  
publico

publico consensu et electione fecit ordinari apostolicum suum ne-  
potem, Brunonem, Ottonis filium, qui Marchiam Veronensem  
feruerat, imposito Gregorii nomine. **CHRONOGRAPHVS**  
**SAXO** apud Leibnit. access. hist. T. I. p. 205. Otto rex Roman  
veniens Ioannem papam defunctum reperit, cui nepotem suum  
Brunonem - non solum cleri, sed et omnium Romanorum vnamini  
voto ciuium pontificem electum subrogari pie consenxit.

- 22) FRAGMENTVM HISTORIAE AQVITANICAE  
apud Pitheum inter annalium et historiae Francorum scriptores. p. 524.  
Otto Gerbertum, archiepiscopum Rauennea, propter fummam philosophiam fummo amore excolens ordinavit eum papam, vocavitque nomen eius Sylvestrum. GLABER RODVLPHVS L.  
i. c. 4. inter scriptores historiae Francorum XI. a Pitheo editos p. 7.  
His denique ita gestis, accersens imperator Gerbertum, videlicet Rauennea archiepiscopum, constituit illum principalem Romanorum pontificem - inde vero, vt diximus, Romanae urbis sublimauit pontificem.

III.

Quae sub initium regiminis Henrici in Germania exortae sunt turbae, non permiserunt forte, ut rerum Italicarum curam ageret. Et Itali quoque, varietatis amantes, operam dedisse videntur, ut obsequio regis exterii se subtraherent. Pars certe illorum, post habitu Ottonis legitimio successore, in Ardoini fidem transiit. Nec Romanis adeo placuisse videtur Ottounum imperium, ut ne, extincta horum stirpe mascula, difficultatibus, quibus implicatum Henricum norant, pro occasione uterentur se in libertatem vindicandi. Nescio itaque, num partes quaedam fuerint Henrici in electione Ioannis XVII. et XVIII. itemque Benedicti VIII. qui post mortem Sylvestri II. in pontificatu maximo administrando se inuicem excepérunt. Neque tamen omnium eandem fuisse sententiam, vel exinde appetat,

## 14 DE POSTVLATO PONTIF. R. CONFIRMANDI

quod non pauci procerum Henrico tum clam tum palam adhaeserunt, suisque querelis effecerunt, vt anno post C. N. MIV. regnum Italiae contra Ardoinum iusarem assertum iuerit. Nec Romanis libertas, qua inde ab obitu Ottonis, absente legitimo principe, vti videbantur, eo vsque arridebat, vtne Henrici aduentum exoptarent. DITMARVS 1) saltem auctor est, sacerdotes summos omnes, quos enumerat, Sylvestrum, Ioannem, Sergium et Benedictum, id maxime in votis habuisse, vt Henricus per tot annos rebus, quae Germaniam affligebant, distractus, tandem aliquando sui copiam ficeret. Vt alia incommoda raceam, in quae Romani, Henrico in Germania haerente, per licentiam maleferiorum hominum incidebant, vel foliae discordiae in electionibus pontificum, quibus obicem posuerat superiorum caesarum auctoritas, illis restaurandi imperii studium poterant instillare. Vix enim aliquot anni ab excessu Ottonis III. praeterierant, cum, ad veteres dissensiones reuersi, Benedictum alii, alii Gregorium elegerunt. Hic igitur cum se fere tueri contra aduersarium non posset, Henricum, in Germania morantem, auxiliu petendi cauſa adiit. A rege vero hoc responsi tulit, Romae, quo breui venturus erat, cauſam secundum morem Romanorum finiendam esse. 2) Aut itaque omnis fallor, aut liquido exinde apparet, a Gregorio agnatum esse, ad orientalium Francorum regem, vt vt imperiali nomine carentem, pertinere decisionem litigiosae electionis, quam tamen Henricus non, nisi cognita Romae cauſa, in se fuscipere voluit. Quin et illud, quod DITMARVS 3) refert,

ponti-

pontifices, quotquot inde ab Ottonis morte ecclesiae Romanae praefuerunt, aduentum Henrici exoptasse, manifesto est indicio, credidisse illos, non alii, quam regi a Germanis electo imperium deberi. Eamque ob rem tanto facilius mihi datum iri, confido, WIPPO-NEM,<sup>4)</sup> qui Conradum Salicum ipso die coronationis a Romanis imperatorem electum esse, narrat, de acclamatione populi potius, cuius etiam OTTO FRI-SINGENSIS<sup>5)</sup> mentionem facit, quam de solemni electione, sine qua ad imperium adspirari a Conrado non potuerit, intelligendum esse. GLABER RODVLPHS saltem, eiusdem aevi auctor, coronam imperii regem ex more accepisse, scribit. 6) Nihilo tamen minus Romani in locum Benedicti VIII. eodem, quo Henricus, anno defuncti, Ioannem XIX. pecunia corrupti nec expectato regis consensu, forte tamen vacante per octo septimanas regno, in solium pontificum eucixerunt. De Benedicto quoque IX. non constat, vtrum consentiente, an ignorante, Conrado sit consecratus. Si tamen in re incerta coniecturae locus est, ego quidem exinde, quod Benedictus, de sede depulsus, a Conrado restitutus est, 7) colligo, non neglectum esse imperatoris iurum suorum tenacissimi consensum. Quicquid interim huius rei sit, illud certe expeditum est, in omni historia huius aevi ne vestigium quidem repetriri, ex quo vel suspicio desumi queat, electionem tum Henrici, tum Conradi, quorum tamen vterque diadema imperiale obtinuit, a quoquam pontifice vel examinatam vel confirmatam esse.

1) DITMARVS MERSEBURGENSIS L. VI. apud Leibnitz.  
T. I. p. 399. Ab omnibus fæcerdotibus summis aduentis regis maxime

16 DE POSTVLATO PONTIF. R. CONFIRMANDI

maxime desideratur, sed diuersorum reluctance hystium diu tardatur.

2) IDEM *l. c.* Papa Benedictus Gregorio cuidam in electione praevaluit. Ob hoc iste ad nativitatem dominicam ad regem in Palithi venit cum omni apparatu apostolico, expulsionem suam omnibus lamentando innoteſcens. Huius crucem rex in suam fufcepit custodium, et a ceteris abstinere praecepit, promittens sibi, cum ipse illuc veniret, haec secundum morem Romanum diligenter finiri.

3) conf. nota I.

4) WIPPO *in vita Conradi Salici apud Pistorium T. III. rerum German. p. 472.* Igitur rex Chuonradus Romam ingressus eodem anno, ut supra, id est, a nativitate saluatoris MXXVII, indictione x. a papa, Ioanne, et vniuersi Romanis regio honore mirifice receptus est: et in die s. Paschae, qui eo anno VII. Kal. April. terminabatur, a Romanis ad imperatorem electus, imperialem benedictionem a papa accepit.

5) OTTO FRISINGENSIS chronicus *L. VI. c. 29.* apud Vrſſium scriptorum rerum German. *T. I. p. 132.* Anno ab incarnatione domini MXXVII. Conradus Romanum veniens in ipsa die paschalibus solennitatis-- a summo pontifice, Ioanne, coronatus, ab omni populo R. imperatoris et augufti nomen fortuit.

6) GLABER RODVLPHVS *L. IV. in proemio apud Pirhoeum p. 40.* Conradus Romanam deueniens coronam ex more sumit imperii.

7) IDEM *L. IV. c. 9. p. 49.* Quidam de principibus Romanorum conpirantes in papam Romanum, cupientes illum interimere, sed minime valentes, a fede tamen propria expulerunt. Sed imperator illuc proficisciens propriae fedi restituit.

III.

Nec de Henrico III. iam anno MXXVI. aut plane MXXV. successore patris adhuc superstitis designato, et anno MXXVIII. Aquisgrani coronato <sup>1)</sup>), tale quid a quoquam poterit afferri, quo tamen nemo alias princeps illustrius summae in pontifices Romanos potestatis

tis documentum edidit. Praeerat illo tempore, quo patri successit Henricus, ecclesiae R. Benedictus IX. iam antea nominatus, sed immanitate sua et atrocitate tot facinorum animos Romanorum eo usque a se alienauerat, ut illi ex urbe electo Ioannem, Sabinae episcopum, et postea Sylvestri nomine appellatum, sufficerent. Quamquam vero, interiecto aliquot mensium spatio, in urbem reuersus Sylvestrum de loco depulerat, sustinendo tamen ciuium odio impar pontificatum, accepta pecunia, aut saltem non modicam redditum pontificiorum partem depectus, Gratiano cuidam dignitatem manciparat. 2) Quo perturbato ecclesiae R. statu Henricus ad accelerandam expeditionem Romanam, per tot annos dilatam, motus, circa autumnum anni M XXXX VI. iter suscepit, habitisque Papiae comitiis, Placentiam progressus, Gregorium, quem dixi, obuium habuit, eoque amice dimisso, propius ad urbem accessit. Ut vero Sutrium peruenit, synodum indixit, cognitaque caussa, consilio episcoporum congregatorum pontifices partim exauktoravit, partim, ut spontanea abdicatione sententiam depositionis praeuerterent, adegit, hisque peractis, Suidgerum, Bambergensem episcopum, pietate et rerum diuinarum scientia clarum, adsentientibus et Romanis, et reliquis, qui tum praefentes fuere, proceribus, et applauditibus, pontificem constituit, moxque, pridie natalis domini Romam ingressus, a nouo pontifice, ipso natali die seruatoris, quo et Suidgerus consecratus erat, et nomen Clementis II. adsumserat, vna cum coniuge coronatus fuit. 3) Iam vero sententiam dicant illi, qui imperium per coronationem

## 18 DE POSTVLATO PONTIE R. CONFIRMANDI

tionem demum Romani pontificis in regem Germaniae, eumque ab episcopo R. confirmatum, translatum esse, contendunt, num luculentius desiderari exemplum possit auctoritatis imperialis, nulla praevia pontificis approbatione, ante solemnem inaugurationem exercitae, quam illud ipsum, quod adduximus. Henricus certe, a nullo vnam praesule confirmatus, ac ne visa quidem Roma, et imperiali etiam nomine pro more illorum temporum abstinentis, caussam dissidii, in ecclesia Romana orti, cognovit, sententiam depositionis dixit, et in dieectorum locum alium suffecit dignorem, hisque demum omnibus gestis coronam imperiale a novo pontifice accepit, manifesto documento, regem Germaniae ex ipsa electione Germanorum ius summi imperii nancisci in urbem Romam, ipsosque praefules ecclesiae summos. Atque ne quid in posterum contra auderent, ac pontificem, imperatoris auctoritate neglecta, pro lubitu, vel plane pecunia corrupti, eligerent, sacramenti religione illos hoc nomine obstrinxit, 4) coque ipso legem, a Romanis toties posthabitam, renouauit, vt risu eo digniores sint, qui postea Henricum praerogatiuam illam magno a Romanis aere redemisse confinxerunt, ius quippe, quod inde ab antiquis temporibus augustis competit, nec sine perfidiae nota a Romanis insuper haberi potuit, nec subsecutis saeculis sine mago ecclesiae detimento, quod tot dissoneae electiones docent, imperatoribus ademtum fuit. In praesenti vero ab hac audacia procul absuere, ideoque, mortuo Clemente, cuius obitus in ipsum annum **XLVII.** incidit, quamlibet Benedictus **IX.** nundinator ille summi

summi pontificatus sedem Romanam tertium occupasset, successorem ab imperatore per legatos expetierunt, et Popponem, Brixinensem episcopum, postea Damasi II. nomine celebrem, acceperunt. 5) Par obsequii documentum edidere, Damaso huius ita multo post consecrationem mortuo, ac legatione Frisingam, vbi imperator tunc commorabatur, curiamque circa natalem domini anni M XLVIII. celebrabat, missa, mortem praefatis significarunt, ac de substituendo successore principem interpellarunt. Et imperator quidem, iure suo viuis, Brunonem Tullensem episcopum, postea Leonem IX. dictum, nominauit. 6) Interim, ut iam tum Hildebrandus, Cluniacensis monachus, Leoni, Romam contendenti, persuasit, vt ornatum pontificium, quem iam induerat, deponeret, donec a Romanis electus ac consecratus esset, vt magis ex suffragiis cleri populi que R. quam ex nominatione imperatoris pontificatum obtinuisse videretur, 7) ita, extineto Leone, denuo in Germaniam missus, callidis artibus imperatorem adortus, eum precibus, quibus potuit, omnibus, vt Gerhardum, Eichstadensem episcopum, quem principi carissimum esse norat, ideoque de industria et consilio Romanorum nominarat, ecclesiae Romanae praeulem daret, expugnauit. 5) Hoc enim artificio elaborauit, vt Gebhardus, qui postea Victoris II. nomen adsumis, non tam ab imperatore constitutus, quam per electionem Romanorum in sede pontifica collocatus esse crederetur, accidente principis adsensu. Germani tamen scriptores nihil sinistri suspiciati, Victorem II. pontificiam

30 DE POSTVLATO PONTIF. R. CONFIRMANDI

ciam dignitatem ex suffragiis episcoporum Germaniae  
ab Henrico accepisse enarrant. 9)

- 1) WIppo in vita Conradi Salici apud Pistorium T. III. p. 47<sup>l.</sup> et p. 475. Latius haec ex probatis scriptoribus enarrantur ab ANTONIO PAGI in critice annal. Baronii ad ann. 1044. p. 231. seq. et ad ann. 1046. p. 171. et in LVDOV. ANTON. MVRATORII Geschichten von Italien ad an. 1044. p. 231. seq. et ad an. 1046. p. 242. Add. LEO OSTIENSIS chronicus Casinensis L. II. c. 79. apud Muratorium T. IV. scripta rer. Italica. p. 395.
- 2) ARNVLPHVS MEDOLANENSIS L. III. c. 2. apud Muratorium l. c. p. 20. seq. HERMANNVS CONTRACTVS ad annum 1046. apud Pistorium T. I. p. 287.
- 3) HERMANNVS CONTRACTVS ad annum 1046. l. c. Henricus, cunctis prospero cedentibus iuxta natalem domini non longe ab urbe Roma apud Sutriam, synodo item acta, causa erroneorum pontificum diligentius ventilata. Gratianum, papam, coniustum, baculo pastorali priuauit. Deinde omnium, tam Romanorum, quam aliorum consenfu Suidgerum, episcopum, qui post Eberhardum primum secundus Babenbergensem sexto iam anno regebat ecclesiam, nimium reluatem, summum Romanae ecclesiae elegit pontificem, sive circa vigilias natalis dominii ipsam ingreditur urbem. IDEM ad annum 1047. In ipsa natalis domini die prefatus Suidgerus, - ex more consecratus et nomine austus, Clemens II. vocatus est. Qui mox ipsa die Henricum, regem, et conjugem eius, Agnetem, imperiali benedictione sublimauit. SIGEBERTVS GEMBLACENSIS ad ann. 1046. apud Pistorium T. I. p. 834. Romae uno contra duos, et duobus contra unum de papatu contendentiibus, rex Henricus contra eos Romanum vadit, et eis canonica et imperiali censura depositis, Suidgerus ecclesiae R. praefidet. LEO OSTIENSIS, chronicus Casinensis L. II. c. 89. apud Murator. T. IV. p. 395. seq. Concilio habitu et synodis canonicasque sententiis concubitus Gregorius simoniacus, ponte sua fede desiliens, pontificalibus se insulis exiit, et terrae prostratus, inuasi honoris indulgentiam sibi concedi similiiter petuit. Quo facto imperator valde laetificatus cum omnibus eiusdem concilii episcopis Romani venit, et in ecclesia beati Petri, apostoli, congregato clero populoque Romano, primo, quid Sutri acum suisset, exposuit, dehinc trahere coepit de ordinatione ipsius R. ecclesiae. Facta itaque discussione, quisnam in eadem ecclesia dignus inueniretur tanto faceret.

ELECTIONEM REGIS R. SIBI NUNTIATAM. 21

dotio fungi, cum nullus, heu proh dolor! reperiatur, demum electione cunctorum episcopos Bambergensis, de gente Saxonum, papa Romanus levatur, eique Clemens nomen imponitur.

4) SIGEBERTVS GEMBLACENSIS ad annum 1046. apud Pistorium T. I. p. 832. Ab eo; Suidgero seu Clemente II., rex Henricus in imperatore benedicatur, iurantibus Romanis, se sine eius consensu nunquam papam electuros. ALBERICVS ad ann. 1047. in Leibnitii access. bistor. T. II. p. 79.

5) LAMBERTVS SCHAFFNEBURGENSIS ad annum 1048. apud Pistorium T. I. p. 319. imperator natalem Domini Polethae celebrauit. Ibi legati aderant Romanorum Suitgeri, papae, obitum nuntiantes, eique successore postulantes. Quibus imperator Popponem, Priniensem episcopum, aassignauit: HERMANNVS CONTRACTVS ad annum 1048. apud Pistorium T. I. p. 290. Sequenti Julio, Poppo, Brixensis episcopus, ab imperatore electus Roman mititur, et honorifice suscepitus apostolicae sedis CLII. papa ordinatus, mutato nomine Damasus II. vocatur. LEO OSTIENSIS chronicus Casinensis L. II. c. 81. apud Muratoriun T. IV. p. 399. Clemente post novem menses ultra montes defuncto, praefatus Benedictus iterum in pontificatum reversus per octo menses illum retinuit, donec ab imperatore transmissus ex Germania Damasus, Brexenorum episcopus, illi in papatu succedit.

6) LAMBERTVS SCHAFFNEBURGENSIS ad annum 1049. l. c. imperator natalem Domini Frisingae celebrauit. Ibi iterum legati Romanorum, Popponis, papae, morte nuntiata, rectorem Romanae ecclesiae postulabant, quibus imperator Brunonem, Tolofac episcopum, dedit.

7) OTTO FRISINGENSIS L. VI. chron. c. 33. apud Virsarium Rer. Germ. T. I. p. 156. Cumque, assumta purpura pontificali, per Gallias iter ageret, contigit eum Cluniacum venire, vbi forte tunc praefatus Hildebrandus prioratus, ut dicitur, obedientiam administravat. Is, Leonem adiens, aemulatione Dei plenus constanter eum de incepto redarguit, illicitum esse, inquiens, per manum laicam summum pontificem ad gubernationem totius ecclesiae violenter introire. Verum si suis le credere consiliis velit, utrumque, et quod maiestas imperialis in ipso non acerbetur, quodque libertas ecclesiae in electione canonica renouetur, se pollicetur effecturum. Inclinatus ille ad monitum eius, purpuram depositit, peregrinique habitum adsumens, ducens secum Hildebrandum, a clero et populo Bruno in sumnum pontificem eligit, sicutque utique Romanae ecclesia ad faciendam electionem informatur.

C 3

8) LEO

22 DE POSTVLATO PONTIF. R. CONFIRMANDI

8) **LEO OSTIENSIS** *chronic Cassineensis L. II. c. 89. apud Murratorum T. IV. p. 403.* Defuncto Leone, Hildebrandus, tunis Romanae ecclesiae subdiaconus, ad imperatorem a Romanis transmisitus est, vt, quoniam in Romana ecclesia persona ad tantum officium idonea reperiri non poterat, de partibus illis, quem ipse tamen vice cleri populi R. in pontificem elegisset, adduceret. Quod cum imperator affensus fuisset, et Gebeardum Aistetenensem episcopum - Hildebrandus ex industria et confilio Romanorum expetivisset, tristis super hoc valde imperator effectus est, nimis enim illum carum habebat, et cum eundem sibi omnimodis necessarium imperator allereret, et alium atque alium huic officio magis idoneum iudicaret, Hildebrando tamen, ut alterum recuperet, persuaderi nullatenus potuit. -- Hunc ergo Hildebrandus, iuncto licet imperatore, iuncto etiam eodem ipso episcopo, Romanum secum adduxit, eique Victoris nomen imponens, Romanum papam cunctorum afflu constituit. *Book marginalia and notes*

9) **HERMANNVS CONTRACTVS** *ad annum 1054. apud Pistorium T. I. p. 297.* Conuentus ab imperatore Moguntiae factus est, in quo Gebehardus Eistetenensis episcopus ab episcopis electus, Romanique missus, ibique honorifice suscepitus, insequenti quadraginta in coena Domini CLIV. papa ordinatus, Victoris II. nomen accepit. **LAMBERTVS SCHAFFNEBURGENSIS** *ad ann. 1054. l. c. p. 320.* Leo IX. papa, XIII. Kal. Maii statu fine quietuit in Domino, Romaeque sepultus est. Imperator interpellatus a Romanis, ut antistitem sedi apostolicae prouideret, Gebhardtus, Einstadensem episcopum, misit.

V. OTTO TRIUMPHANS

Cum vero ex his, quae adhuc dicta sunt, luculentter appareat, reges Germanorum et impetatores summan in ordinandis pontificibus ecclesiae Romanae exercuisse auctoritatem, eosque solos, qui, caesare iubente, insulam sacram adepti sunt, legitimos habitos, ceteros, qui injussu regum intrusi fuerunt, exauctoratos esse, vix credi poterat, vel in mentem venturum cuiquam, adseuerare, fuisse ius quoddam pontificibus huius

huius aeti, de quo egimus, in electionibus regum nostrorum. Sunt tamen nihilominus ex recentioribus nonnulli, et in his **BELLARMINVS**, 1) qui etiam tum praefulibus R. quasdam in hoc negotio partes fuisse, sibi persuadent. Et hoc quidem nomine tum ad **PAVLLI BERNRIEDENSIS** 2) auctoritatem prouocant, tum **MARIANVM SCOTVM** 3) et **CONRADVM**, ABBATEM **VRSPERGENSEM** 4) testes adducunt. Hi vero Hemiculum **IV.** Henrici, supra commémorati, filium, Victoris **II.** pontificis consensu patri successisse enarrant. Etsi vero mihi animus non est, in praesenti fidem illorum impugnare, exploratumque esse scio, Victorem **II.** pontificem, paullo ante, quam Henricus obiit, ad hunc visendum aduenisse, 5) mox etiam, cum principe in morbum, ex aegritudine animi contraëctum, delapoſo, ac de vita desperante, de filii successione aequa ac alios procerum, qui tum praefentes fuerunt, confilia communicasse 6), atque etiam, eo defuncto, ordinandae reipublicae cauſa in Germania moratum esse 7), illud tamen silentio praeterire nequeo, Henricum puerum, cui plerique ordinum iam anno **MLI.** regnum promise-  
 rānt 8), in comitiis, Triburiae anno **MLIII.** adeoque Leone **IX.** superstite, habitis, regem electum 9), annoque subsecuto **MLIV.** Aquisgrani coranatum fuisse 10). Neque dubium est, Victorem, quem dixi, tunc quidem Eichstadiensis ecclesiae episcopum, Henrico **IV.** autem praeter ceteros addictum, hanc electionem omnibus modis approbasse. Quicquid igitur postea Bothfeldi in Saxonia nouissimis Henrici diebus de successione Henrici, filii, cum Victore, interim ad summum pontifi-

24 DE POSTVLATO PONTIE. R. CONFIRMANDI

pontificatum eucto, aliisque proceribus actum est, ad fidem, quam iam dudum principi iuueni obstrinxerant, confirmandam, pertinuisse, eo securius colligo, quo certius est, circa hoc tempus comitia populi, ad quae tamen electio regis pertinebat, celebrata non esse, sed pontificem reliquo fuit primates, qui imperatori moribundo adfuerunt, vel sigillatim euocatos, vel sponte aut saltem priuati negotii caussa ad aulam principis conuenisse. 11) Hos itaque ut Henricus sibi domique suae prae alis fauere creditit, ita filium puerum fidei illorum commendauit, 12) quod male animatorum procerum murrurationes et mussitationes, quas HERMANNVS CONTRACTVS 13) meminit, minime ignorauit, adeoque machinationes illorum de regno, excluso Henrico pueru, in alium, transferendo, quae haud ita multo post eruperunt, 14) praeuidit. Quae si rete pensitantur, facile quisque intelligit, pontificem aequum ac proceres Germaniae ceteros, qui imperatori decubenti et de salute filii sollicito praesto fuere, operam tantum promisso suam, qua effecturi erant, ut ne rex pupillus quicquam a malevolis hominibus, dignitati eius et potestati insidiantibus, detrimenti patueret. Enim uero ex concessis apparere, inquiet pontificiae caussae defensores, ex ipsius Henrici sententia Victorem II. non parum habuisse momenti in regno, regi iuueni conseruando. Ego autem quanquam hoc lubentissime largior, vix tamen ac ne vix quidem, quod petunt, consecuturos esse, scio. Quemadmodum enim his temporibus tum in electionibus regum, tum in omni re publica administranda tanto plus cuiusvis suffra-

suffragium valuit, quanto maiore dignitate vel sacerdotali, vel ciuili, praec aliis conspicuus erat, ita prudensissimum imperatorem minime latere potuit, sententiam Victoris, qui, pontificatus summi honore auctus, episcopatum Eichstadiensem retinuerat, 14) eamque ob rem omnium consiliorum de negotiis, ad regnum Germaniae spectantibus, iure quodam suo vetere particeps erat, eo plus valitaram esse apud reliquos, quo maiorem illi auctoritatem nomen summi ecclesiae catholicae praefulsi conciliabat. Fac igitur et Leonem IX. quo pontifice Henricus IV. rex nominatus est, eius electioni vel interfuisse, vel absentem ad sensisse, longe tamen ad fidem probabilius est, ob Tullensem potius episcopatum, cui etiam postea, quam ecclesiam R. gubernare coepit, praefuit, hoc factum esse, 15) quam ob summum pontificatum, cuius nomine ante haec tempora nullus vnuquam antistitut Romanorum in partem electionis venire postulauit.

1) ROBERTVS BELLARMINVS *de translatione imperii Romani L. III. p. 293.*

2) PAVLLVS BERNRIEDENSIS *in vita Gregorii VII. c. 60. apud Maratorium T. III. p. 331.* Tertio igitur Henrico mortuo, quartus ille Henricus, rex, permittente Romano pontifice, Victore, qui tunc morienti praefens erat, hereditario iure nimirum puer fcessit.

3) MARIANVS SCOTVS *ad ann. 1056. apud Pistorium T. I. p. 650.* Henricus imperator filium suum Henricum Romani pontificis tune praefensis ceterorumque pontificum et principum electione regem constituit.

4) CONRADVS, ABBAS VRSPERGENSIS *ad ann. 1056. p. m. 231.*

26 DE POSTVLATO PONTIF. R. CONFIRMANDI

- 5) HERMANNI CONTRACTI CONTINVATOR *ad ann. 1056. apud Pistorium T. I. p. 298.* Henricus, imperator, domino apostolico, ad se tempore autumali iuitato, cum in Saxonia in Bothfeldino commoraretur, morbo ingrauecente infirmatus, obiit. LAMBERTVS SCHAFFNEBVRGENSIS *ad ann. 1056. l. c. p. 322.* Praefentes erant, quasi ad officium tanti funeris ex industria vocati, Romanus pontifex. Aquileiensis patriarcha, patruus imperatoris, Ratisponensis episcopus, item aliae innumerabiles tam laici quam ecclieiaſtici ordinis dignitates. Notatumque est, nulla retro maiorum memoria, fine publica indictione, tot illiſtres perlonas in unum confluxisse.
- 6) DODECHINVS *ad ann. 1006. apud Pistorium T. I. p. 667.* Pa-ter eius, Henrici IV. apud Botfeld quum aegrotaret, roganit, imo imperando impetravit, vt filio suo iuuarent ad obtinendum im-perium.
- 7) LAMBERTVS SCHAFFNEBVRGENSIS *ad annum 1057. l. c. p. 323.* Rex natalem domini Ratisponae celebrauit, praefente adhuc Viftore, papa, qui exinde compotis mediocriter prout tune copia erat, regni negotiis, in Italiam regressus V. Käl. Aug. migravit ad dominum.
- 8) HERMANNVS CONTRACTVS *ad ann. 1057. p. 292.* im-perator natalem domini in Saxonia apud Goslar egit, et multos ex principibus filio suo iurevando fidem subiectionemque promittere fecit. LAMBERTVS SCHAFFNEBVRGENSIS *ad ann. 1052. p. 320.*
- 9) HERMANNVS CONTRACTVS *ad ann. 1052. p. 295.* Im-perator Henricus, magno apud Tribuarium contentu habito, filium aequiōcum a cunctis eligit, eique post obitum suum, si rector iustus futurus esset, subiectionem promitti fecit.
- 10) LAMBERTVS SCHAFFNEBVRGENSIS *ad ann. 1054. p. 321.* Imperatoris filius, Henricus, consecratus est in regem Aquisgrani ab Hermanno, Coloniensi archiepiscopo.
- 11) IDEM *ad annum 1056. pag. 322.* videatur n. 5. vbi verba extant.
- 12) DODECHINVS *ad ann. 1006. apud Pistorium T. I. p. 667.* vid. n. 6.
- 13) HERMAN-

- 13) HERMANNVS CONTRACTVS *ad ann. 1053. p. 296.*  
Quo tempore regni tam primores, quam inferiores, contra imperatorem magis magisque missantes, iam dudum eum ab inchoatae iustitiae pacis, pietatis, diuini timoris, multimodaque virtutis tenore - paullatim ad quaeclum et incuriam quandam deficere, multumque se ipso deteriore fore cauillabantur.
- 14) LAMBERTVS SCHAFFNEBURGENSIS *ad annum 1057. p. 323.* Principes Saxoniae crēbis conuenticulis agitabant de iniurias, quibus sub imperatore affecti fuerant, arbitrabanturque, pulchre sibi de his satisfactum fore, si filio eius, dum adhuc aetas opportuna iniuriae esset, regnum eriperent.
- 15) LAMBERTVS SCHAFFNEBURGENSIS *ad annum 1057. p. 323.* Vīctor, papa, V. Kal. Aug. migravit ad dominum. Einstadensem episcopatum, quo se ille papa factus non abdicauerat, Gunzo suscepit.
- 16) ACTA TULLENSIVM EPISCOPORVM *in Ed. mundi Martene rheſauo auctordorum T. III. col. 1008.* Denum dominus apostolicus cernens eum, *Vdonem*, in sancta religione proficeret, dispoluit eum, praecedente cleri plebisque eleccióne in huius sedis præfusulatus officio sibi subrogare, ac legatione ad Henricum tertium, Romani imperii rectorem, directa, illum sibi successorem substituere. Add. WIBERTVS *in vita Leonis IX. L. II. c. 8.* apud Muratorium T. III. p. 295.

## VI

Non diu post redditum in Italiā superstes fuit Victor II. praeter omnium bonorum votum v. Kal. Aug. anno M. LVII. vita defunctus. 1) Qui in locum eius successit, Fridericus Lotharingus, Stephani IX. nomine celebris, a Romanis mira animorum consensione, 2) interiecit paucis diebus, 1v. Non. Aug. electus, altero statim post electionem die, non expectato regis Henrici consensu, consecrationem accepit. 3) Forte tamen ipse Victor, cui curam rerum Italicarum ab imperatri-

D 2

cc

ce vidua, tutelam regis pupilli administrante, commissam fuisse, satis probabili arguento nisus, MVRATORIVS 4) coniicuit, potestatem nominandi successoris habuit, aut saltem, quod illi ex colloquiis Augustae nouissimis compertum esse potuit, vel plane mandatum fuit, electionem Friderici Lotharingi acceptam fore principi, iis, quos Florentiam, vbi diem supremum obiit, secum adduxerat, significauit. Hoc sane certum est, Victorem ultimis vitæ diebus Florentiae apud Gottfri-dum, Friderici fratrem, quem Agneti imperatrici et regi impuberi conciliauerat, 5) diuertiisse, ipsumque Fridericum, Casinensis monasterii tunc abbatem, cardinalibus ecclesiae adscriptissile, 6) hunc etiam, ut maneris auspicia sine mora faceret, Romam, superstite ad-huc Victore, et Florentiae manente, profectum esse. 7) Non ingratam saltem fuisse Augustae, iurium impe-rialium alias seruantissimæ, Friderici promotionem, quin et optimè huic cum illa conuenisse, exinde colli-go, quod oblocuta esse electioni, mirifica festinatione acceleratae, nullibi legitur, et ipse Fridericus, consecra-tione peracta, Hildebrandum in Germaniam ablegauit, mox etiam ob dubiam valetudinem mortem instare si-bi, suspicatus, anathematis comminatione addita, inter-dixit, ne, si forte humani quicquam sibi accideret, ante reditum Hildebrandi, quem diximus, successorem sibi surrogarent. 8) Quamquam vero aliqui sanctionis, a Stephano iv. Kal. April anno post c. n. MLVIII. mor-tuo 9) factae, immemores, Ioannem Mincium, non expectato Hildebrando, substituissent, 10) fuere tamen plures, qui iniustitia rei moti, quicquid huius rei ge-stum

stum erat, imperatrici et regi per legatos indignabundi significarunt, fidemque, quam Henrico III. dederant, filio se seruatuos esse promiserunt, precibus additis, ut ipse rex cum matre Augusta praefulem legitimum nominaret. Quo facto, et deliberatione instituta, Gebhardum, Florentiae episcopum, postea Nicolai II. nomine insignitum, in quem et Romanorum et Germanorum studia inclinabant, pontificem imperatrix una cum rege Henrico appellavit, ac Gottfrido, fratri Stephani IX. ut eum Romam deduceret, negotium dedit. 11) Haec vero ut satis perspicue ostendunt, ex ipsorum Romanorum sententia constitutionem summi pontificis ad Henricum, hucdum corona et nomine imperiali destitutum, pertinuisse, eumque, aut saltem eius nomine Agnetem, imperatricem viduam, hoc ius exercuisse, ita Nicolaus II. mense Aprili anni post C. N. M<sup>CM</sup>VIII. sub eius initium pontificatum adierat, incommodis, quae ecclesiam R. post mortem Stephani afflixerant, obicem positurus, ex consilio et sententia C<sup>XIIII</sup>. episcoporum et aliorum sacri ordinis hominum decreuit, ut quotiescumque in posterum sedes R. praefule orbaretur, cardinales consensu Henrici, tunc regis, sed imperatoris futuri, successorumque illius, alium eligerent, populo adstipulante. 12) Et quamlibet in eo iniquior in caelares fuit Nicolaus, quod hoc ius a speciali pontificum concessione pendere affirmauit, in eo tamen et MVRATORIVM, et alios, quorum opinionem fecutus est, errare et fallere existimo, quando praeter confirmationem nihil imperatoribus relictum esse, invito decreto, ex cuius verbis alia omnia apparent luculentissime

30 DE POSTVLA TO PONTIE R. CONFIRMANDI

sime, adsequerant. Praeterea vero et hoc nomine memoratu digna est sanctio, modo adducta, quod pontifex vna cum patribus subscriptis Henrico, regi, futuri imperatoris titulum tribuit, eique dignitatem imperialem iure quodam deberi, quin et electionem pontificis ipso auctore, licet vel maxime nomine imperatoris careret, peragendam esse, agnouit. Eo iustior igitur fuit indigationis cassa imperatrici et regi, cum Nicolao II. mense Iulio anni post c. N. MLXI. exanimato, Anselmus, Luccensis episcopus, sed postea Alexandri II. nomine auctus, solo Romanorum arbitrio, inconsulto rege, ipsis Kalend. Octobr. eiusdem anni est substitutus. Nec habuerunt alieni iuris usurpatores, cur contra Henricum conquererentur, qui tuendi iuris sui caussa Cadaloum, Parmensis ecclesiae episcopum, posthabita illegitima electione Alexandri, pontificem nominavit v. Kal. Nouembr. solenniter electum. 13) Nihilo tamen minus huic adhaeserunt Romani, caesarique per eius electionem iniuriam factam esse, ideo negarunt, quod Stephanus, cardinalis, post obitum Nicolai, surrogandi successoris caussa, in Germaniam ablegatus, ad audientiam regis admisus a proceribus aulae per contemnum non fuerit, sive re infecta Romam reuersus, senatui sacro populoque necessitatem electionis, iniussu regis, peragendae imposuerit. 14) Moxit, nisi omnis fallor, haec excusatio Annonem, Coloniensem archiepiscopum, ad finiendum dissidium in Italiam ab Agneta et Henrico missum, ut auertendae defectionis caussa, quam Romani ob Cadaloum, sibi obtrusum, minabantur, Alexandri electionem ratam habuerit, Cadaloo deserto et reprobato. 15) Sed vtrum haec facilitas regi et regno Ger-

Germaniae proficia fuerit, iam non disquiram. Id certe euenit, vt Romani, voti semel compotes facti, Hildebrandum, qui Gregorii VII. nomen adsumsit, in locum Alexandri, XI. Kal. Mai. anni M<sup>CCC</sup>XXXII. extinetti, 16) ipso exequiarum die suffecerint, de aliis omnibus potius, quam de consensu regis, solliciti. 17) Hildebrandus tantum, qui decretum Nicolai II. subscriperat, vt infamiam et diras, sanctio[n]e, quam dixi, comprehensas, euitaret, electionem regi significauit, culpaque festinationis in populum versa, et ordinationis suspensae colore, effecit, vt Henricus, electione confirmata, ministros, qui ordinationi interessent, Romanu[m] alegaret, ius suum inter turbulenta, quae iam tum cooperant, tempora, v[er]cunque conseruaturus. 18) Quam parui tamen hae priscae maiestatis reliquiae ab ipso clero aestimatae sint, vel ex eo elucefecit, quod libertatem ecclesiae R. quod ad electionem pontificis attinet, iam ab Alexandri II. aetate adsertam, et ad subsecuta tempora propagatam esse, OTTO, FRISINGENSIS EPISCOPVS, 19) adseueravit. Nec ego abnuerim, me proxime abesse ab eo aeuo, quo pontifices, mira rerum conuersione facta, ad examen et confirmationem electionis regum Germaniae, quibus adhuc subfuere, et dignitatem acceptam tulere, conatu minime vano admirarunt, sensimque et paullatim, vt reges regnumque Germaniae eodem iure, quo episcopos et episcopatus, in suam ditionem plenissime redactos, censere ac habere possent, elaborarunt.

1) LAMBERTVS SCHAFFNEBVRGENSIS *ad annum  
m<sup>ccc</sup>xxvii. vid. nota 7. §. 5.*

2) IDEM *I. c. p. 323.* Tum vero vniuersi, quidquid principum, quidquid plebis R. erat, uno animo pari voluntate in electionem consen-

32 DE POSTVLATO FONTIE. R. CONFIRMANDI

consenserunt Friderici, fratris Godefridi, ducis. -- Nec quisquam sane multis retro annis lactioribus suffragiis, maiori omnium expectatione, ad regimen procererat R. ecclesiae.

- 3) LEO OSTIENSIS *chron. L. II. c. 97. apud Mvrator. T. IV. p. 409.* Vbi eius vocationem de confuetudine facientes, Stephanum eum, quoniam festum S. Stephani, papae, eo die celebratur, appellari decernunt. -- Die vero altera illucelcente, -- summus et uniuersalis pontifex consecratur.

- 4) LVD. ANT. MVRATORIVS *in den Geschichten von Italien T. VI. p. 317.*

- 5) SIGEBERTVS GEMBLACENSIS *ad ann. 1057. apud Pistorium T. I. p. 837.*

- 6) LEO OSTIENSIS *chron. L. II. c. 96. p. 408.* Fridericus Lotharingus loci, Casinensis monasterii, abbatiam recepit. Post decem igitur dies -- gratia confeerationis suas ad papam profectus in Tusciā est. -- Sabbatho itaque in ieiunis mensis lunii cardinalis prelbytere de titulo S. Chrysolomi ordinatus. In nativitate vero S. Ioannis abbatiae est confeeratione adeptus, atque usque ad secessitatem S. Apollinaris, d. 23. Iulii, cum eodem Apostolico est remoratus.

- 7) IDEM *d. c. 97.* Cumque petita remeandi licentia, Romanam venisset, Dominica sequenti, d. 27. Iulii, apud S. Petrum missam solemniter celebrans, ingenti Romanorum multitudine comitatus, ad titulum suum de more cardinalium cum laude perductus est. Dehinc ad Pallarium -- profectus. Vbi cum usque ad quintam feriam substitutus, et urbem protinus exire pararet, subito Bonifacius, Albanensis episcopus, festinus a Tuicia rediens, obitum urbi Romani pontificis nuntiavit.

- 8) LAMBERTVS SCHAFFNEBURGENSIS *ad ann. 1058. p. 324.* Rex natalem domini Merleburg celebrauit, aderantque ibi inter alios principes regni Hildebrandus, abbas de S. Paullo, mandata deferens ab sede apostolica. LEO OSTIENSIS *L. II. c. 100. p. 411.* Posthaec congregatis intra ecclesiam episcopis et clero populoque Romano, sub dictatu nimis interdictione, seu, ut Damianus *L. II. epistola 4. p. 294.* scribit, sub dictu anachemaris excommunicatione, constituit, vt si antequam Hildebrandus -- ab imperatrice, ad quam pro quibusdam reipublicae negotiis communi consilio mittebatur, rediret, se obire contigeret, nullus omni-

ELECTIONEM REGIS R. SIBI NVNTIATAM 33

no eligere papam praesumeret, sed vsque ad illius redditum apostolica fides intacta vacaret, eius demum confilio ordinanda.

9) IDEM l. c. Dehinc ipse in Tusciam properans, non multo post subito languore depresso Dei iudicio, apud urbem Florentiam obiit IV. Kal. Aprilis.

10) IDEM L. II. c. 101. p. 411. LAMBERTVS SCHAFFNE-BVRGENSIS ad annum 1058. p. 324.

11) LAMBERTVS ad ann. 1059. l. c. Romani principes satisfactionem ad regem mittunt, se scilicet fidem, quam patri dixissent, filio, quoad possent, seruatores, eoque animo vacanti Romanae ecclesiae pontificem vsque ad id tempus non subrogasse, eius magis super hoc expectare sententiam, orantque fedulo, vt, quem ipse velit, transmittat, nihil eius ordinationi obstare, si quis non per legitimae electionis ostium, sed aliunde, ascendisset in ouile ouum. Rose, habita cum primoribus deliberatione, Gerardum, Florentinum episcopum, in quem et Romanorum et Teutonicorum studia confenserunt, pontificem designat. Romamque per Godefridum, marchionem, transtinxerit. Ita Benedicto, qui sine iusu regis et principum sacerdotium usurpauit, reprobato, Gerardus, qui et Nicolaus, pontificatum obtinuit. LEO OSTIENSIS Chron. L. III. c. 12. p. 421. Sed cum post obitum piae memoriae Stephani, papae, supradictus Hildebrandus, reuersus ab imperatrice, contra eiusdem apostolici interdictum inuafam a pestis hominibus ecclesiam comperisset, Florentiae substitut, suisque litteris super hoc Romanorum meliores conueniens, eorumque ad omnia confensum recipiens, mox annente Gottfrido, duce, Girardum, Florentinum episcopum, in Romanum papam elegit, simulque cum ipso et duce Romanus mensa iam Ianuario venit, vbi praefatus electus a Romano clero et populo apostolica fede inthronizatus, et Nicolai nomen indeptus est.

12) Exstat decretum Nicolai II. non mutilatum in CHRONICO FARFENSI apud Murator. T. II. col. 645. seqq. Ibi vero in primis notanda sunt verba: Noui beatitudo vestra, dilectissimi fratres et coepiscopi - defuncto - Stephano -- haec apostolica fides quot aduerfa pertulerit, quot denique per simoniace haeresis trapezitas repetitis malleis - subiacuerit. - - Qua propter - decernimus atque statuimus, vt, obeunte huius Romanae viuieralis ecclesiae pontifice, in primis cardinales diligentissima simul confederatione tractantes, salvo debito honore et reuerentia dilectissimi filii nostri, Heinrici, qui in praefatarum rex habetur, et futurus impe-

### 34 DE POSTVLATO PONTIF. R. CONFIRMANDI

imperator, Deo concedente, speratur, sicut iam mediante eius nuntio, Longobardiae cancellario, W. concessimus, et successorum illius, qui ab hac apostolica iudee personaliter hoc ius impetraverint, ad consensum nouae electionis accedant. Nimirum praecauentes, ne venalitatis morbus qualibet occasione subrepat, religiosi viri cum serenissimo filio nostro, rege Heinrico, praeduces sint in promouendo pontificis electionem, reliqui autem sequaces. - Quod si prauorum - ita perueritas inualuerit, vt pura - electio fieri in vrbe non possit, licet pauci sint, ius tamen potestatis obtineant eligendi apostolicae sedis pontificem, vbi cum inimitissimo rege congruentius indicauerint.

13) LEO OSTIENSIS *chron. L. III. c. 21. p. 431.* Defuncto apud Florentiam apostolico, - cum maxima seditione inter Romanos coepisset de ordinando pontifice exoriri, Hildebrandus, - cum cardinalibus nobilibusque Romanis consilio habitu, ne dissensio conualeceret. Anselmum tandem, Lucensem episcopum post tres circiter menses in Romanum pontificem eligunt, eumque Alexandrum vocari decernunt. - Quod cum ad aures imperatricis eiusque filii peruenisset, indignatione nimia ducti, quod haec sine illorum consensu et auctoritate gesta fuissent, et ipsi nihilominus Cadaloum, Parmensem episcopum ultra montes a Placentino duxit et Vercellino episcopis ipsa die festiuitatis Apostolorum Simonis et Iudae in papam eligi faciunt. AVCTOR *discepcionis inter regis aduocatum et Romanas ecclesias defensorem apud Baronium annualium ecclesiast. T. XI. p. 310.* Constat enim tres plus minus menses interim occurrisse, ex quo papa, Nicolaus, occubuit, vsque ad Kal. Octobr. cum iste, Alexander, succedit.

14) IDEM AVCTOR *discepcionis l. c. p. 31.* Stephanus, cardinalis presbyter apostolicae sedis, - cum apostolicis litteris ad aulam regiam missus, ab aulicis administratoribus non est admisitus, sed per quinque sere dies ad beati Petri et apostolicae sedis iniuriam pro foribus manxit exclusus. Quod ille, vptote vir grauis et patiens, aequanimitate tulit, legati tamen officium, quo fungebatur, implere non potuit. Clavum itaque signatumque mysterium concilii, cuius erat gerulus, retulit, quia regis eum praesentari conspectibus curialium plectenda temeritas non permisit.

15) LAMBERTVS SCHAFFNEBURGENSIS *ad ann. 1064. p. 331.* Caussabantur Romani principes, quod rex, eis inconsultis Romanae ecclesiae pontificem constituisse, et ob eam iniuriam defectionem meditari videbantur. Propter quod placuit Coloniensem archiepiscopum Romam mitti. Qui vieniens eo, cum aliud

ELECTIONEM REGIS R. SIBI NVNTIATAM. 35

aliud turbatis rebus remedium inuenire non posset, iudicauit, ordinationem, quae, incio senatu Romano, facta fuisset, irritam fore, et sic, amoto Parmensi episcopo, per electionem eorum Anfelmum, Lucensem episcopum, pro eo ordinari constituit. Add. vita *Alexandri II. apud Murator T. III. p. 302. seq.*

16) MARIANVS SCOTVS ad ann. 1073. apud Pistor. T. I. p. 653. Alexander papa obiit dominico die XI. Kal. Mai.

17) LAMBERTVS ad ann. 1073. p. 354. Alexander papa - decepit: cui Romani protinus, inconfutlo rege successore elegerunt Hildebrandum.

18) NICOLAVS, *cardinalis Arragonius, in vita Gregorii VII. apud Murator. T. III. p. 304.* Sed cum aliam excusationem de relinquendo papatu non inuenisset, nuntios ad regem Henricum celeriter destinauit, per quos et electionem de se factam ei aperuit, et ne affensum praebiceret, ipsum attentius exorauit. Quod si non faceret, certuni sibi esset, quod grauiores et manifelos excessus impunitos nullatenus toleraret. Rex vero, vbi electionis veritatem cognouit, electioni eius affensum praebuit, et statim *Gregorium, Vercellensem episcopum, Italici regni cancellarium, ad urbem transmisit, quatenus auctoritate regia electionem ipsam confirmaret, et consecrationi eius interesse fruderet.* Quod sine dilatione factum est. Nam et infra octauam pentecostes in presbyterum est ordinatus, et in natali apostolorum in Romanum pontificem consecratus. LAMBERTVS SCHAFFNEBVRGENSIS ad ann. 1073. l. c. episcopi - orabat, vt electionem, quae eius iniussu facta erat, irritam fore decerneret. Statim rex a latere suo Eberhardum, comitem, misit, qui Romanos proceros conueniens cauissim ab eis sciscitaretur, quare praeter consuetudinem maiorum, rege inconfutlo, Romanae ecclesiae pontificem ordinassent, ipsumque, si non idonee satisfacceret, illicite accepta dignitate abdicare se praecepiperet. Is veniens Romam benigne a praedicto viro suscep-  
tus est. Cumque illi mandata regis expouisset, respondit. se. Deo teste, honoris huius apicem nunquam per ambitionem affectasse, sed electum se a Romanis et violenter sibi impostam fuisse ecclesiastici regiminis necessitatem, cogi tamen nullo modo potuisse, vt ordinari iei permitteret, donec in electionem suam, tam regem, quam principes Teutonici regni, confessisse, certa legatione cognosceret: haec ratione dislissive adhuc ordinationem, et sine dubio dilatarum, donec sibi voluntatem regis certus inde veniens nuntius intimaret. Hoe vbi regi est renuntiatum, libenter suscepit satisfactionem et laetissimo suffragio, vt ordinaretur, mandauit.

36 DE POSTVLATO PONTIE. R. CONFIRMANDI

19) OTTO FRISINGENSIS chronic L. VI. c. 34. apud Vrfti-  
fum T. I. p. 136. His diebus Alexander, primo Luensis epifcopus,  
post communi voto et electione in sumnum pontificem promotus,  
ecclesiam, iam diu ancillatam, in pristinam reduxit libertatem.

EXPLICIT DISSERTATIO II.

\*\*\*\*\* COROLLARIA. \*\*\*\*\*

- I. Aduersus debitorem, rem alienam, inscio domino, oppignorantem, datur aetio hypothecaria utilis, si res oppignorata postea in bonis eius esse coepit l. 5. C. si res alien. pign.
- II. Sed non competit haec aetio aduersus dominum, quo inscio res oppignorata est, si vel maxime debitori oppignoranti heres extiterit l. 41. D. de pignor. act.
- III. Nec obstat l. 22. D. de pignor. et hypoth. Ibi enim agitur de actione pignoratitia contraria. Vid. LVDOVICI doctrina pandectarum tit. quae res pign. §. 2. p. 371.
- III. Querela inofficiose donationis non pertinet ad rescindendam totam donationem, sed ad consequendam legitimam t. t. C. de inoff. donat.
- V. Idem de querela inofficiose dotis est sentiendum. vid. BOEHMERI doctr. de act. p. 228.
- VI. Principes electores imperatorem eligunt nomine totius imperii et omnium ordinum, iure tamen suo, non per modum commissionis.



+

94 A 7372

ULB Halle  
001 681 94X

3





B.I.G.



29.

37

DE

POSTVLATO PONTIFICIS R.

**CONFIRMANDI  
ELECTIONEM REGIS ROMANORVM  
SIBI NVNTIATAM**

DISSERTATIO II. EAQVE CIRCULARIS

QVAM  
PRAESIDE

**IO. CHRISTOPHORO PESLERO**

I. V. D. COD. IVSTIN. PROF. PVBL. ORD.  
ET FACULT. IVRID. ADSESSORE

**IN AVDITORIO ICTORVM**

III. NON. FEBRVAR. A. O. R. CIQ 10CCXXXVIII.

DEFENDET

**IOANNES DANIEL SCHWECHTEN**  
PERLEBERGENSIS.

---

FRANCOFVRTI AD VIADRVM

EX OFFICINA IOANNIS CHRISTIANI WINTERI  
ACADEM. REG. TYPOG.

